IO. HERMANNI BENNER


SS. THEOL. DOCTORIS ET PROFESS. ORDINARII
SVPERINT. ET PAEDAGOGIARCHAE

NOXA CATECHETICA ZINZENDORFIANA

Oder:

Zinzendorfischer Catechismus-Gift,

LOCIS QVIBVSDAM OBSERVATA.



GISSAE, APVD E. H. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.
A. O. R. M DCC XLIIII.



§. I.

PRODIIT, anno ſuperiore, noua *catecheſeos* ZINZENDORFIANAE * forma. Quam a quisquiliis prioribus haud quaquam repurgarunt. Nullum fere doctrinae caput ſanum adparet. Vbique, vel imprudentiae, vel errorum veſtigia ** cernuntur.

* Eximie collaudat hunc libellum *Epiſcopus* olim *fratrum Morauorum* D. E. IABLONSKY, *epiſtola* ad *illuſtr. comitem* ZINZENDORFIVM, quam exhibent *Büding. Sammlungen part. V. p. 693.* Et *comes* ipſe, *Büd. Saml. part. III. p. 318. part. V. p. 656.* vbi dicit: *Vnſer Catechiſmus iſt nichts anders, als was die Schrift bisher auch geweſen. Ibid. part. II. p. 188.* & *p. 194.* haec leguntur: *Iſt das Lehrbüchlein vom Grafen von Zinzendorf, ſo hat ers gewiß im Gehorſam geſchrieben, daß er deſen Edition zum wenigſten XV. Monath aufgehalten nachdem es ſchon fertig geweſen, iſt allen Arbeitern der Gemeine bekannt.* Quocirca tanta eſt *fratribus ab Herrenhutho* fiducia, vt hunc libellum, tanquam cae-

lo demiſſam ſalutis cynoſuram, ſpargant atque diſſeminent quam late poſſunt. Id quoniam in hac ipſa contigit academia, vbi ipſis adeo SS. theologiae ſtudioſis, ille fetus, adiuncto oſculo fraterno, arrhae inſtar datus fuit: non potui, quin haec pauca, pro muneris ratione, explicarem.

** Legemus quaedam in tranſitu: *pag. 33.* nota *ad quaeſt. 7.* vocem λόγος de filio Dei *Io. I. 2.* adhibitam, auctor exponit *cauſſam primam.* Quae vox egreſſum filii de patre notat, adeoque ad *perſonam* filii Dei pertinet, quam a *perſona patris*, neutiquam *cauſſae primae* notione, ſpiritus ſanctus dipinxit. *Pag. 41. Quaeſt. 61.* verba *Marc. XII. 29.* vbi vate praeeunte, DEVS *Iſraelis*, Deus *vnus* dicitur, vnitatem de *indiuiſo imperio* exponit, cum *eſſentiae tamen vnitas* indicetur. Qua de re, ſi recte memini, iam ab aliis monitus, haud in viam rediit.

Pag. 45. Quaeſt. 91. Ex eo, quod Seruator *Io. XVII. 6.* teſtatur, ſe *nomen patris reuelaſſe hominibus*, colligitur, *Chriſtum fuiſſe primum, qui clarum quiddam de patre hominibus tradiderit, cum in veteri teſtamento de Iehoua (quaeſt. 92.) ordinarie, qui eſt iuſtitia noſtra (q. 92. 93.) ſermo ſit: ita tamen vt veteres in hoc diſcrimen patris & filii nihilominus (q. 95.) inciderint. Prou. 30. 4.* Vnde lectorem inferre oportet:

1) Patris nomen (ſaltim reſpectu filii ab ſe geniti) in V. T. non eſſe clare reuelatum. 2) ſi qua obſcurior *patris* mentio fiat, in eam veteres *incidiſſe*, in quam videlicet auctor *Prouerbiorum*, quaſi minime θεόπνευστος, *inciderit.*

Pag. 61.

Pag. 61. q. 238. quaerit cur Seruator *nunquam se diserte Deum adpellauerit?* ℟. *Io. VIII. 50. Meum honorem haud quaero.* Cum satis constet CHRISTVM *se Dei filium & Dominum, Matth. XXII. 44.* vocasse.

Pag. 82. q. 416. ex *Gen. III. 6. 11.* Adamo & Euae abiudicat *scientiam boni & mali*, quos *arbor demum vetita tam sapientes reddiderit.*

§. II.

Sed speciminis loco sint ea, quae de *iustitia Christi*, in locum peccati successura, itemque de *lege*, dicuntur. Haec enim proxime post illa, cursim (§. I.) delibata, sequuntur. De *fide*, & *iustificatione* passim ea docet illustrissimus COMES, quae dubito an vllo modo possint excusari. Quo fidem aliquis concipere possit, necessarium esse docet, vt Seruator * *det facultatem impetrandi statum filiorum.*

* *Catech. p. 165. q. 1057.* vbi quaerit: *Was muß einer Seele wiederfahren, daß sie glauben kan?* ℟. *Jesus giebt ihr Macht, ein Kind GOttes zu werden, und an seinen Namen zu glauben. Io. I. 12.*

Sed quis nescit *filiationem* esse post fidem, & ideo dari fidem, vt euadamus filii Dei? Cum *ius filiorum* sit inter eximias piorum praerogatiuas; omnes autem praerogatiuae nascantur e fide: non leuis est

 impru-

imprudentia, si quoddam caeleste bonum, quale est *filiatio*, fidem praecedere dicatur. Certe salutis ordinem non licet ita turbare, & ad haec parum deliberata dogmata, sancti deinde Spiritus effata rapere, quasi dixerit ille, quae neque consilio diuino de salute nostra, neque *experientiae spirituali*, vllo modo congruunt. Multo sane aliter IOANNES quem testem adhibet, ibi pronunciat: *Quotquot Christum recipiebant*, ecce *fidem!* his *filiorum facultatem & iura donabat*, *quippe credentibus in nomen eius*. h. e. filiorum ius ita proficiscitur e *fide*, vt fides tendat in *nomen Christi*, eoque sibi vindicet ea *quae Christi sunt*: CHRISTI autem est, esse DEI FILIVM. Nam praeterquam, quod ipsum *nomen filii Dei*, proprium est seruatori; ipso quoque stilo sacro *nomen Christi* ea omnia complectitur, per quae *Christus* vt Sospitator noster concipi, atque adeo cunctis ab aliis discerni potest: qua ratione hoc *nomen* ad *totum Christi meritum* ac beneficia pertinet; inter quae praecipuum tenet locum filiatio.

§. III.

De *iustificatione* non semel inconsiderate disputat. Quam a CHRISTO consummatam atque confectam * esse docet tunc, cum de cruce pendens, mortem pro nobis obierit. Per eandem fieri putat, vt ** credamus in CHRISTVM. In ipsa catechesi admodum frigide atque *** ieiune hanc totius euangelii medul-

medullam tradidit, in primis de *iustificatione sub veteri testamento*, catechumenon suum prope inconsultum dimittit.

* *Büding. Samlung part. IV. p. 505. Die Rechtfertigung hat Iesus am Holtz mit seinem Blute zu Stande gebracht, und der heilige Geist appliciret sie nun ad singulos, ex commissione. Die Heiligung aber, ist des heiligen Geistes souveraines eigenes Geschäfte.*

Iustificatio conficitur (wird zu Stand gebracht) si fides CHRISTI meritum adprehendit, &, si DEVS proinde nos declarat pro iustis, sui nempe filii iustitia indutis. Id vt FIERI POSSIT, effecit CHRISTVS, *satisfactione* praestita pro nobis. CHRISTVS igitur de cruce pendens, non iustificationem, sed *satisfactionem* pro nobis, consummauit, quae deinde per spiritum sanctum, procreata fide, nobis adplicatur. Ius nobis peperit mors CHRISTI ad *iustificationem:* ipsa *iustificatio* in cruce non peracta est. Quod in cruce peractum est, id ad omnes; sed *iustificatio* ad paucos pertinet.

Ita si mens est illustrissimo comiti; loqui etiam cum sacris litteris & cum doctoribus piis & prudentibus oportuit, non offendere infirmum lectorem.

Quod additur de *sanctificatione*, eam esse *proprium opus spiritus sancti;* nolim id eo trahi, vt quod CHRISTVS *in cruce praestiterit* huc non pertinere dicatur. Nam *de meo* inquit CHRISTVS, *sumet spiritus, quem ego missurus sum.* Et profecto, in sanctificatio-

fificatione est *continua meriti Christi ad nos adplicatio, continui actus fidei*, per quos ista inualescit, & in amorem ac reliquas virtutes influit. Certe voces *eigenes und souveraines Werck des heiligen Geistes*, praesertim vbi non tantum *opus Christi*, sed etiam opus spiritus sancti, quod ille ex demandato *(ex commissione)* agat, aduersa regione positum fuit, nequaquam liquido manant riuo. An non & ipse CHRISTVS est is, qui nos *sanctificat? Eph. V. 26. 27. Tit. II. 14. 1. Io. I. 7. Luc. I. 75.* Et pater? *Io. XV. 2.*

Satis notum est, *sanctificationis* negotium, *spiritui sancto*, singulari modo tribui, quod nemo nescit e nobis aut negat. Verum COMES iam dixerat de *iustificatione, Der heilige Geist appliciret sie ex commissione.* Sed ab eo, quod *spiritus sanctus ex commissione* (nos per *adpropriationem* dicimus) peragat, statim id distinguitur, quod sit *proprium* & *independens* eius negotium: tale fortassis quod facturus erat, tametsi *Mediator* nullus venisset. Id propemodum indicare videntur, quae alibi pronunciat, in *der Erklärung über A. Groß unpartheyischen Bericht ad §. 81. Im übrigen ist der Heyland nicht eigentlich darum gestorben, daß er uns heiligen möchte, darum seyn wir geschaffen worden; sondern er ist darum gestorben daß er uns mit seinem Vater aussöhnen möchte.* Verum, sicut olim ad imaginem Dei creati, ita nunc ad *sanctificationem vocati* adeoque & redemti sumus, iudice Paullo *1. Thess. IV. 7. Luc. I. 75.* Nonne per sanctificationem imago diuina magis in dies singulos instauratur? Nonne CHRISTVS ideo mortuus est, vt imago illa nobis redderetur, tum in hac, tum in altera vita?

vita? Quid expiatio CHRISTI nobis prodesset, nisi per eandem *sanctificatio* nostri praestaretur? Quid? quod ipsa Christi morte, spiritus sancti missio ad homines CHRISTO deuouendos, parta fuit? *Io. XVI. 7. Tit. III. 5.-7.*

** *2. Petr. I. 1.* Haec verba de graeco sic vertit in germanicum: *Denen, die durch die Rechtfertigung unsers Gottes und Heylandes Iesu Christi gleichen Glauben bekommen haben.* Lege, si placet, *nouum* eius *Testamentum germ. h. l.* Possit huic sensui medela quaedam adferri, si dicas, (quod B. BVDDEVS, disputatione in hanc rem, MDCCXXIV. edita, contendit) *iustificationem ipsius Christi*, hic intelligi, quae nempe in eo posita sit, quod Sospitator noster, expiatione confecta, liber & immunis a peccatis in sese receptis, a iudice iam placato, pronunciatus sit. Verum, nec ista sacri codicis *phraseologia* satis certa haberi potest; neque, si vel ipsa sit extra dubium, hoc loco valere posset. Nam δικαιοσύνη, *iustitia*, hic ponitur, quae nullo plane modo, *iustificationem*, id est actionem, notare potest.

*** De *iustitia Christi* agere incipit catechetes *pag. 85.* responsione ad *q. 435.* Indicant *litterae maiusculae*, quibus vox *Gerechtigkeit* exarata est, quod in hoc libro sic vbique fieri, tum oculus docet, tum ipsa auctoris admonitio, alibi aduersus censores suppeditata. Haec igitur *imputata Christi iustitia*, seu *iustificationis* doctrina, totius theologiae acropolis, vix tribus quaestionibus, iisque frigidissimis, absol-

nitur. Complectemur eas, eodem ordine, quo ponuntur.

1.) *Aeternus Amor* Dei meditatus erat ab aeterno mysterium, futuris temporibus reuelandum, *Col. I. 26. Eph. III. 9. Quaest. 434.* 2.) Id mysterium erat *iustitia, omnibus in quos peccatum transierat, acquirenda Rom. V. 18. Quaest. 435.* 3.) Ad illam iustitiam peruenire homines in V. T. (nam de illis ei sermo est, *q. 438.*) debebant, *per notitiam Christi Ies. 53. Quaest. 436.* 4.) Eo de mysterio veteres aliquid notitiae habuerunt, quippe *rimantes quae & qualia tempora praemonstraret spiritus Christi 1. Petri I. 11. Quaest. 437.* 5.) Quin id ipsum saepe viuaciter intelligebant; *nam Abrahamus diem Christi ouans adspexit, Io. VIII. 56.* & *angeli summo id mysterium desiderio spectabant 1. Petri I. 12. Quaest. 438. 439.*

En tibi totam *de iustificatione* doctrinam, tam angusto comprehensam gyro, vt admiranda foret haec methodus, si, quam breuiter, tam solide neruoseque, rem expediret. At breui libello breuis conuenit rerum explicatio? Inquis. Nec abnuo; si lactis alumno catechetici, hac breuitate consulatur: si nihil obscure, nihil sinistre, de summa salutis, contraque nihil fuse ac verbose de rebus aliis, vt de *discipulatu, p. 225.-240.* & aliis, eo ipso libello dicatur. Nam illa profecto, quae de *iustificatione* hic disputantur, neque SOCINVM ab ista catechesi, neque fratrem DIPPELIVM deterreant. Sed singula lustremus.

Qualis hominum in V. T. fuerit *iustificatio*, illis e quaestio-

quaestionibus, bone lector, mihi decide. Peruenire ad illam debuerunt, *per notitiam Christi*, teste IESAIA. Recte hactenus. Ita enim ABRAHAMVS de quo statim agitur, ad illam peruenit. Illa quippe notitia est *fides* in Christum. Qui fit autem, cum ABRAHAMI mentio iniicitur, quod non fides ABRAHAMI classicis ex oraculis noui testamenti, e. c. *Rom. IV. 1. ss.* demonstratur? An non locus hic erat eam demonstrandi? neque enim Iudaeis hunc libellum scripsit: qui solo essent e Veteri testamento conuincendi. Aut cur ad illum IESAIAE, quem attulit locum, reliqua non addidit: *Portat enim eorum peccata?* in eo enim cardo rei vertitur: atque id est, quod nolit DIPPELIVS. Non id inuidiose dictum velim, aut eo consilio, vt dogma Dippelii cuiquam innocuo impingam. Sed candide tamen ac sincere haec sacra doceri cupio, in eo praesertim loco, vbi sedes sit propria totius argumenti. Sed pergamus. Homines ad iustificationem peruenire debuerunt *per notitiam Christi.* Si quaeras, quaenam illa fuerit? statim subiicitur: veteres aliquid eius rei nouisse, dum tempora noui testamenti praesenserint. Quid hoc rei est? An PETRVS isto loco, vbi haec dicuntur, de *iustificatione* agit? An sub veteri testamento homines, *ea notitia* iustificati sunt, qua prospiciebant illustres N. T. praerogatiuas? PETRVS ibi de *prophetis* agit ac de angelis: illine ergo sunt, quibus obtigit *iustificatio?* Quid misera de plebe fiet, cui nihil istius reuelationis praecipuae concedebatur? Porro cur ABRAHAMI postea & *angelorum* exempla subiicit? Quotus quisque id cum angelis, vel ABRA-

HAMO, commune habuit, quod CHRISTVS ei proprium praecipuumque detulit? Cur non *fidem* Abrahami, quam ἰσότιμον habuit pius quisque, catecheta commemorauit? Nam ista certe lectorem inconsultum dimittunt, aut in eam deducunt cogitationem, vt existimet, in V. T. praeter vates & ABRAHAMVM ceterosque paribus praerogatiuis mactatos, *iustificatum fuisse neminem:* adeoque *iustificationem* esse *beneficium* credentibus noui testamenti, ceterisque, qui sub veteri lege, ad hos proxime per singularem gratiam accesserint, plane proprium atque praecipuum. Nam *quaestio 492.* vbi veteres *eadem gratia*, quae datur sub nouo testamento, salutem adepti dicuntur, per illa quae modo dicta sunt, infirmatur: cum *gratia* CHRISTI ad *prophetas*, angelos, & *Abrahamum* noui testamenti gloriam prospectantes, illic restringatur. Nihil attinet sentire aliud: cum hoc loco de *professione* ac *institutione catechetica* dicamus, quae certe talis esse non debet, quae lectori, vel catechumenis, pro bono & vero sensu, periculosa quaelibet & sinistra suggerat, cum vbique prostent meliora, saltimque *catechetica* eiusmodi imprudentia, alienam offensura pietatem, & incautos deceptura, temere frustraque in mediam *ecclesiae* lucem propellatur.

§. IV.

De *Lege* quae in hoc libello miscentur, maximam produnt auctoris imprudentiam.

Primo

Primo *foedus legale*,* veteri teſtamento proprium, in quo latuit idem quod nunc veneramur *euangelium*, tumultuarie tractat: quod euangelicum eſt, & perpetuum, non diſcernens ab externo tranſituroque cortice: & rurſus eundem *corticem legalem* in nouo teſtamento deciduum, permiſcet cum *lege morali* perenni ** ac perpetua: quin ipſum *legis moralis abuſum*, ad legis naturam neceſſariam ſub veteri teſtamento, refert, adeoque vſum perpetuum & ſalutarem, cum *abuſu*, praeter legislatoris deſtinationem ſemper, ac noſtris vel maxime temporibus metuendo, confundit. Deinde, hac deceptus opinione, omnes piorum infirmitates,*** quas *lex moralis* inde ab ortu ſuo, ad finem vſque *regni gratiae*, detegit & accuſat, ad *vetus teſtamentum* refert. Denique, neſcio quam piorum ſub veteri teſtamento *miſeriam* crepat, quam legi a Deo ſancitae tribuit.

* Legis *definitionem* tradit *p. 85. q. 442. complexum praeceptorum atque dogmatum* ex *Eph. II. 15.* vbi tamen de *caerimoniali* PAVLLVS nominatim diſputat. Sic *q. ſequente, 443.* oraculum PAVLLI *Gal. III. 19.* quod manifeſto de *foederi legali* capiendum, ſubiicit; quo etiam pertinet *q. 445.* vbi lex ſupra quatuor ſaecula

recen-

recentior dicitur promiſſo, e verbis PAVLLI *Gal. III. 17.* Iam vero *lex moralis* ibi non poteſt intelligi, vt quae cum homine nata, &, PAVLLO teſte, ipſis paganorum animis eſt inſcripta. *Noua* autem eius *promulgatio* fuit talis, quae admixta haberet praecepta rituum, abolenda ſuo tempore, adeoque nouam quandam *foederis* formam, poſtea deſituram, complecteretur. Quae profecto tota promulgatio probe diſcernenda eſt ab illa parte promulgata, quam *legem* dicimus *moralem.* Et tamen compendium legis illius confeſtim addit *Marci. XII. v. 30. 31. a. morem Dei & hominum, eundemque numeris omnibus abſolutum.* Ab eo loco quae ſequuntur, ad *legem moralem* omnia pertinent, mira confuſione. Donec *q. 463.* verba *Pſalmi 147. v. 19.* quae de beneficio *reuelationis euangelicae* potiſſimum agunt, ſola de lege interpretatur, ex iisque comprobat, *populum Iudaicum legi fuiſſe ſubiectum,* eo ſenſu, quo PAVLLVS *meriti proprii iactatores & ſatisfactionis Chriſti* ſpretores ea phraſi notat: cum illic tamen de praerogatiua *Iudaeorum* prae gentibus externis agatur, quae in eo maxime ponenda, quod *euangelium,* licet foedere legali inuolutum, apud ebraeos, ſingulari beneficio diuino, vigeret. Haec omnia vel callide, vel imprudenter, ita perturbat catechetes, vt, eum poſtea legem abrogatam eſſe, comprobat, ipſam illam legem, cuius compendium amor eſt, antiquatam & ex eccleſia noui foederis relegatam eſſe, lector intelligat. Quod ſane virus nequaquam cum lacte catechetico, praeſertim in tanta ſanioris doctrinae luce, ac poſt moni-

monita toties ingeminata, mentibus erat instillandum.

** Qui *Antinomorum* placita postliminio in ecclesiam reducit, inter alios errores vana *perfectae* sanctitatis fiducia niti potest; securus, quam necessaria sit *contritio* a spiritu sancto *per legem* producenda; & quam nullum Deo possimus obsequium praestare, nisi explorata illius *bona*, & *probata*, & *perfecta voluntate Rom. XII. 2.* Audiamus igitur Catechetam nostrum: *p. 91. quæst. 483. Was war also der Zweck des Gesetzes? R. Was das Gesetz denen sagte, die unter dem Gesetz waren, geschahe darum, daß aller Mund gestopft werde, und alle Welt GOtt schuldig seye. Rom. III. v. 19.* Pergit *quæst. 485. Und also war das Gesetz nur auf eine Zeit gemeynet? R. Sie wurden unter dem Gesetz verwahret und verschlossen biß auf den Glauben der da sollte offenbahret werden: und also hat das Gesetz an ihnen gezogen und gemacht biß auf Christum, Galat. III. 23. 24.*

Nemo non videt, oraculum Paulli *quæstione 483.* tam male habitum, agere de *lege morali*, e quo est *agnitio peccati*, quod ipse catecheta statim *quæst. 484.* e *Rom. III. v. 20.* vel inuitus dat probatum. Vide autem, quam sublesta fide sanctissimum hoc negotium agat. Primo mutat *sensum* verborum mutata temporis mentione, *Was das Gesetz SAGTE denen die unter dem Gesetz WAREN:* cum in graeco sit λέγει, neque postea praeteriti, temporis adsit vestigium. De quo tam conuictus fuit, vt *metaphrasi noui testamenti*, verum fateatur: *Was das Gesetz.*

Gesetz saget denen die drunter seyn. Porro & in illo torquet oraculum PAVLLI, tum in *metaphrasi*, tum in *catechesi*, quod ita conuertit: *Was das Gesetz denen sagte die unter dem Gesetz waren cet.* cum Paullus dicat: ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ, sicut & ipse BENGELIVS interpunxit. Præcipua autem illa est fallacia, quod οἱ ἐν τῷ νόμῳ *obnoxii legi*, tales venditantur, qui sub disciplina legali veteris testamenti fuerint. Quod perniciosius nihil dici potest. Quis enim, quaeso, est ille, *qui sub lege* dicitur? Tota docet oratio PAVLLI. Ille nimirum, qui lege sic abutitur, vt *suis meritis legi satisfacere studeat*, indeque se iustum, & in foro diuino irreprehensum, excluso Sospitatoris merito, fide suscipiendo, insana temeritate, fastuque pernicioso, gloriatur: quales tunc temporis erant iudaei, contra quos, more CHRISTI, disputat PAVLLVS. Quisque hoc modo, legis fiducia salutem quaerit, is recte *sub lege esse* pronunciatur. Nam 1) lex totam & plenissimam ab eo poscit obedientiam, quam neque *per se potest*, neque aliena, id est *Christi opera, vult* praestare. Igitur 2) est sub lege, respectu *maledictionis*, quam lex plenis in eum buccis denotat: quoniam ipse, hanc maledictionem, in victimam piacularem deuolutam, haud agnoscit vel adprobat. conf. *Gal. III. 10.* quod denuo turpiter deprauatur *quæst. 469.* vbi de solis *veteris testamenti sanctis*, iisdemque legi obsequentibus, exponitur.

Quid ad haec NOSTER? sub lege eos esse agnoscit, qui fuere sub oeconomia legali veteris testamenti.

menti. Nam homines dicit ſub lege fuiſſe, *q. 485. ad illud vsque tempus, quo Chriſtus adpareret in carne.*

*** 1.) Quicquid de lege morali ſacer codex nota *praeſentis temporis* exhibet, id ille nouus magiſter tanquam *praeteritum* enunciat. *q. 450. War das Geſetz gut?* & ſic in ſequentibus perpetuo. Quod excuſari poſſet, niſi diſertis verbis legem in N. T. abrogaret ſicut vidimus *not.* ** & *quaeſt. 463. Wer kam alſo eigentlich unters Geſetz?* ℟. *Er zeigte Jacob ſein Wort.* cet.

2.) Videamus, quo loco NOSTER ſanctos habeat ſub veteri teſtamento, immo quid de DEO, foederis legalis auctore, lectorem ſentire cogat. Paucis recenſebo hanc ſyſtematis catechetici partem: (1) Deus Iſraeli manifeſtans oracula ſua, hunc populum ſubiecit legi *qu. 463.* ſub promiſſo vitae, ſi legem implerent, & comminatione mortis, ſi violarent, *q. 464. 465.* (2) Inde factum, vt iuſti ante fidem adparentem, non eſſent ſine labe, quales ſint ſancti ſub nouo foedere *Col. I. 22. q. 466.* (3) Hi quoque qui legis opus facerent, *maledictioni* erant obnoxii. *q. 469.* Quoniam lex non poterat efficere perfectos *Ebr. VII. 19. qu. 470.* (4) atque adeo via ad ſanctitatem tunc nondum erat patefacta. *Ebr. IX. 8. q. 471.* (5) Igitur *Moſes*, *Dauid*, *Salomo*, *Aſſa*, *Ioſaphat*, *Hiskias*, *Ioſias*, tantis implexi peccatis; quin ſanctus quisque tantam immerſus in miſeriam:

nis tunc quidquam proficiebat; quoties, qui legem MOSIS violaret, ei sine misericordia moriendum esset. q. 480. 481.

Ad (1) Grande fuit beneficium reuelatio data Iacobi posteris. Caput eius reuelationis erat *euangelium*, ad salutem illis datum. Nam ea ipsa reuelatione *Messias* propositus: partim verbis, partim *typis caerimoniali lege* definitis. Quare qui huius legis opus faciebant, ii perpetuo, in *Messiae* satisfactione ac beneficiis occupabantur, teste ad *Ebraeos epistola*, & ipso DAVIDE, qui tot hymnis, ista sub oeconomia, CHRISTVM eiusque beneficia cantauit. Quod fusius hoc loco demonstrare nihil attinet, cum sit publicum ac praelustre totius ecclesiae dogma, quod si quis impugnat, a caetu cultorum CHRISTI secedit. Ceterum, quoniam operosior & molestior erat ille cultus, & ad noui testamenti lucem, obscurior: inde fit, vt *paedagogus* ista lex adpelletur, sub quo *filii*, id est credentes & iustificati, durius habebantur, ne ista *puerili* ecclesiae aetate, luxuriarent *Gal. III. 19.* Longissime igitur abest a vero, quod subnectitur; hanc *reuelationem* fuisse talem, vt *perfectissimam legis obedientiam per opera legalia* poposcerit. Deus enim isto *legali foedere*, quod & *euangelium* recte dicitur, nihil volebat aliud, nisi vt *perpetuos fidei in Messiam actus ederent*, tametsi molestiore cultu externo velatos. Atque id sancti omnes, tam acerba notati censura, fecerunt.

Ad (2) Ea labes sanctorum aut inhaesit eis propter defectum bonorum operum, aut propter defectum expiationis e Messia per fidem petendae. Quodsi posterius

posterius contendit, nemo in V. T. vitam aeternam consecutus est. Prius igitur valebit; & comprobatur a NOSTRO effatis IOBI & IESAIAE, hactenus optime. Sed pessime dictum in *praeterito*, quasi solis de fidelibus V. T. istud verum esset. Repugnat *Ioannes* in *epistola*, qui sub nouo foedere mendacii reos agit, quicunque labis prorsus expertes sese dictitent. Repugnat omnis piorum experientia. Quod autem addit de sanctis N. T. quos *Col. I. 22.* PAVLLVS sine labe sistit: id erubescenda leuitate opponitur puritati piorum in V. T. Nam PAVLLVS eam puritatem manifesto deriuat ab *expiatione Christi* per fidem in nos translata, siue, a *iustificatione*, qua ipsa *Christi sanctitas* nobis imputata, labem tegit omnem, tum in ipsa iustificatione, tum in studio sanctitatis, in quo diligentissime versantes, tamen orare a CHRISTO docentur: *remitte nobis debita nostra!* Sed hic nimirum scopulus est, in quem turgida NOSTRI vela nauiculam illidunt. Nam, quod omnem superat impudentiam, ista Seruatoris nostri verba: *Libera nos a malo*, ad illos pertinere dicit, qui *sint sub lege*, *quaest. 497. Was ist also der Seelen unter dem Gesetz ihre Hauptbitte? R. Erlöse uns von dem Bösen*, *Matth. VI. 13.*

Ad (3) Paulli verba admodum sinistre ac dolose tractantur. *Gal. III. 10.* Nam aduersum eos ibi disputatur, qui quaelibet opera legis, excluso CHRISTO, & fide in illum, ad salutem sufficere nugan-

legalia, id eſt quae *fidem* & *Chriſtum* excludunt, caelum ſuperare? An id proprium legali fuit oeconomiae, vt nonnulli, CHRISTO *repudiato*, ſuis confiderent meritis, atque ideo diras legis exſecrationes ſibi cumularent quas amoliri poterant per CHRISTVM?

Verum hic denuo ſiniſter abit. Nam illud *opus legis* intelligi vult, quod *perfectos facere non poſſet, qui talibus ſacris operarentur*, ex *Ebr. VII. 19.* Ergone, qui *opus legis ceremonialis debite facerent*, *ideo maledicti erant?* Dedignanda ſanctiſſimo PAVLLO naenia. Nam vidimus, quales PAVLLVS *Gal. III. 10.* depinxerit, quos *operibus legis fidere*, pronunciabat. Contra qui ſic faciebant opus legis, vt exinde perfecti non fierent, id eſt non omnes conſequerentur beneficiorum partes vel gradus, qui e CHRISTO redemtore percipi ſub nouo teſtamento poſſunt; hi fidem ſuam exercebant *in cultu Leuitico* (nam *Ebr. VII. 19.* aperte de illis agitur) ita vt iuſtitia Seruatoris exinde potiti, ſanctitatem, fidei filiam indiuulſam, exoſcularentur: nec tamen ideo praerogatiuas fidelium ſub nouo foedere viuentium, impetrarent.

Subſiſtamus hic pauliſper. Lex, quae conſummare non potuit eos, qui eam obſeruarent, *q. 470. & 469.* eſt lex caerimonialis, euangelii vehiculum. Quod docet Paullus *Ebr. VII. 19. ſ.* Lex eadem, *ex hypotheſi*, ſui cultores, diris deuouit & oppreſſit, quod diſerte adfirmat NOSTER *q. 469.* coll. *cum 470.* quarum prior ſic habet: *Wer aber auch des Geſetzes Werck*

Werck that? ℟. *Die mit des Gesetzes Werck umgehen, die sind unter dem Fluch. Gal. III. 10.* Posteriorem accipe: *Wie dann so?* ℟. *Das Gesetz konte nicht vollkommen machen. Ebr. VII. 19.* Iam, quid inde necessario nexu consequitur? Deus, legis illius auctor est, quae consummare sui cultores nequiuit. Quod ne Iudaeus quidem abnuit. Deus igitur legem illam obseruari voluit. Immo Deus obseruantibus istam legem e. c. *circumcisionem*, donauit fidem, & *iustificauit* eos; ac per sacrificia rite oblata, fidem in MESSIAM confirmauit. Sed catechesis noua, obseruantes legem istam, hanc ipsam ob causam quod facerent iussa legis, diris & exitio deuotos fuisse docet, eo quod lex consummare non posset illos. Ergo Deus legem quandam obseruari iussit, cuius obseruatio homines aeterno deuoueret exitio. Scio auctorem huius libelli hanc exsecrabilem sententiam detestaturum esse, nec eandem ego illi impegerim: sed profecto talis est quam ex eius catechesi, lector non aliunde munitus, necessaria consecutione deduxerit. Ne dicam, quid de salute iudaeorum, in V. T., tali rerum facie, statui debeat.

Ad (4) Mera libido est, oraculum *Paullinum Ebr. X. 8.* ad eum detorquere sensum, cui pessima quaedam, eaque *satisfactioni seruatoris* infesta familia, tantopere fauet. Nusquam enim scribit PAVLLVS, *viam ad sanctitatem nondum fuisse adapertam;* sed viam in *sanctum sanctorum* tunc *nondum patuisse*, id est novum testamentum cum suis praerogatiuis

taphrasin, & recte quidem, emendat. LVTHERVS enim verbis, non sententia, secessit. Sciuit igitur catecheta, non esse illum sensum in hoc oraculo, quem tamen, in gratiam erroris sui, fouere quam abdicare maluit, tam pronus alibi ad LVTHERVM deserendum vbi minime debuit. Iam vero audacter, *viam ad sanctitatem* fidelibus V. T. *nondum patuisse*, caussatur; atque ex hoc fonte sanctissimorum illius temporis hominum peccata deriuat: quorum iustitiam *instar panni menstruatae*, detortis IESAIAE verbis, *q. 468.* fuisse criminatur. *Sie (das GANTZE gesetzliche Volck* cum Iesaias de impiis in eo populo loquatur*) waren insgesamt wie die unreinen, und alle ihre Gerechtigkeit war wie ein unflätig Kleid Jes. 64. 6.* Quo contumeliosius in CHRISTVM, cuius illi sancti iustitiam induerant, vel e cacodaemonis rictu exire nihil potest. Confer *q. 469.* quae rem aperit.

Ad (5) Huius igitur miseriae omnium sanctorum *q. 479.* caussa fuit, illa *legis a Deo latae imperfectio: Weil kein Gesetz gegeben ist, das da konte lebendig machen d. l. Gal. III. 21.* Quasi *Christi satisfactio* foedere legali tunc proposita, *viuificare potuerit neminem*, & nihil fuerit aliud, nisi quod PAVLLVS *Gal. III. 21.*, intelligat: cum iste de nefario legis ad salutem consequendam abusu, quatenus CHRISTVS & fides per illum excluditur, ibidem manifesto loquatur.

Iam vero miras adspice nugas: *Moses id fatum habuit, vt promissa terra excluderetur q. 472. Dauid ab*

ab aedificando templo fuit prohibitus q. 473. Salomo irritauit iram Dei ad immittendas ei aerumnas q. 474. Assa, Domino omisso quaesiuit medicos q. 475. Josaphati opera Deus fecit irrita q. 476. Hiskiam Deus ita deseruit, vt eum tentaret q. 477. Josiam Deus carpit, propter lapsus aliquos, ita tamen, vt preces eius audiret, & morte interposita futuris eum calamitatibus eriperet q. 478. Haec ingens omnium sanctorum calamitas, inde nata, quoniam Deus legem nullam dederat, quae homines viuificaret. Cor hominis! Hi sancti sub V. T. ita lapsi sunt: ergo eodem modo lapsi sunt eius temporis *Omnes: das grose Elend ALLER Heiligen unter dem Gesetz kam daher, weil kein Gesetz gegeben ist, das da konte lebendig machen.* Cur quaeso SAMVELEM, ELIAM, ELISAEVM, IESAIAM, & reliquos, non commemorat? An illi sub nouo vixere testamento? & non sub eadem lege, quam ille tantis conuiciis insectatur? Aut quale istud argumentum? Pii homines & ex parte θεόπνευστοι, qualis certe DAVIDES, lapsi sunt: Ergo *oeconomia* sub qua vixerunt, eorum lapsuum culpam habet? Quid? si labuntur sancti sub nouo testamento? an ideo deest in nouo foedere gratia viuificans? aut nulli fortasse hoc tempore sancti sunt, qui peccare queant ac peccarint ipso facto? Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridae.

Ad (6) Totum id, quantum quantum est, largimur. Quodsi vero PAVLLVS istas querelas de

ſeos auctor ignorat, *carnem ineſſe ſibi*, *qua obtemperet legi peccati*, quod PAVLLVS ibi de ſe queritur: diſcere ex illo lubet, an haec ipſius *ſcandala catechetica* a ſpiritu ſancto, cor eius inhabitante, profecta ſint? an hi ſint *fructus ſpiritus?* an *veritas?* vtrum *caro* an *ſpiritus* ſcandalorum auctor ſit? an denique ſit ipſe ciuis *veteris teſtamenti*, eo quod ita transuerſus abeat a vero?

Ad (7) An *in nouo teſtamento* effuſio *ſanguinis Chriſti* nihil habet valoris ad noxas expiandas, quoniam nunc quoque illis non opitulatur, qui legem MOSIS deſtinato conſilio violant, id eſt voluntariis peccatis indulgent?

F I N I S.

